

Berthold of Regensburg OFM

Elysabeth¹

Si nupserit virgo non peccat, Cor. VII. (28). Notandum quod sicut Dominus tres ordines angelorum fecit in celo, {17va} primum in magna leticia, secundum in maiori, tertium in maxima, sic in ecclesia tres sanctos ordines, scilicet coniugatorum, viduarum, virginum; primus sanctus, secundus plus, tercius maxime. Et sicut quidam angeli in nullo istorum trium ordinum esse voluerunt, licet adhuc non essent distincti sed distinguendi, ideo eiecti sunt et diaboli facti, sic quidam in ecclesia in nullo ordine esse volunt, sed vivere ut eis libet, et ideo cum diabolis in inferno eternaliter punientur. Immo ecclesia tantum odit eos, quod filii eorum [secundum] ius seculare non succedunt in hereditate paterna; secundum ius vero spirituale ad nullam dignitatem spiritualem admittuntur, nisi ex gracia pape.²

Sed quia de hiis modo non est materia, de tribus sanctis ordinibus dicendum est;

<1> et de primo, matrimonio, in quo volenti salvari tria sunt necessaria:

<1.1> unum ante nupcias;

<1.2> secundum in nupciis;

<1.3> tertium post nupcias.

Que tria angelus Thobiam docuit, et ipse fecit.

<1.1> Primum est ut nupcias precedat munda vita vel vera penitencia, alias consuevit Dominus, licet non semper, post nupcias gravem penitenciam imponere. Qui enim ante nupcias fornicatur vel adulteratur, et de hoc non penitet, dat illi Dominus talem uxorem, que inpaciencia vel incontinenca {17vb} et huiusmodi tantum premit eum, quod papa cum omnibus cardinalibus non iniungeret ei tam gravem penitenciam. Prov. XXVII (15): *tecta perstillancia in die frigoris* etc.³ Chrisostomus: quisquis habet mulierem malam, cognoscat quam iniquitatum suarum portat mercedem. Similiter puelle nimis dissolute, si ante

¹ Base ms.: LZ = Linz, Oberösterreichische Landesbibliothek, ms. 336 ff. [17rb]-[18rb]. Collated mss.: S = Sankt Florian, Stiftsbibliothek, ms. 347, ff. 160va-161ra; LF = Lilienfeld, StB, ms. 63, ff. 103va-104ra.

² See GECSER, *The Feast and the Pulpit* cit., pp. 180-188.

³ Prov. 27, 14-15: "Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur".

matrimonium non penitent, cum putant se viris honestis copulari, dat eis Dominus viros male morigeratos, bibulos, lusores et huiusmodi. Sap. (11, 17): *per que quis peccavit* etc.⁴

<1.2> Secundum est ut nupcias celebrent cum timore Domini; Thob. IX. (12): *cum timore Domini nupciarum convivium exercebant*; sic angelus eum docuit dicens (Thob. 6, 22): *accipies virginem cum timore Dei, amore filiorum, magis quam libidine ductus*. Non enim debent esse ludi inhonesti et sortilegia, que faciunt stulte mulieres, non histriones et vagi, sed pauperes et boni, qui orent Dominum, ut mutaret aquam in vinum, id est vitam hanc miseram in celestem leticiam, sicut dicitur Io. II. (1): *erat ibi mater Ihesu; vocatus est autem et Ihesus, et discipuli eius ad nupcias*. Sed heu, histrionibus ianua aperitur et pauperibus clauditur! Unde sepe nupcie vertuntur eis in luctum, I. Mach., VIII. (41): *converse sunt nupcie in luctum* etc. Similiter debent in lecto soli convenire ut facerent secundum doctrinam angeli, Thob. V. (6, 18-22): *cum acceperis eam, ingressus in cubiculum, {18ra} per tres dies continens esto, non nisi oracionibus vacabis cum ea. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini* etc., quod et fecit, unde dixit VIII. (4): *Sara surge et deprecemur Dominum* etc. Et post (8, 4): *filii sanctorum sumus*. Et quia hoc modo non faciunt multi, nupcias male inchoant, et continuant in rixa et huiusmodi, et sepe male consumant, credentes licere, quod non [licet], qui quandoque durius dampnantur, quam qui publice fornicantur.

<1.3> Tercium est ut post nupcias regulam matrimonii servent, que habet tria capitula.

<1.3.1> Primum est obediencia, quam sibi invicem habent, ut, quantum ad carnalem copulam, neuter potestatem sui corporis habeat, ut dicitur I. Cor. VI. (7, 4): *mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir*, et e contrario.

<1.3.2> Secundum est sine proprio vivere ut in rebus, que comparaverunt: unus non defraudet alterum, quia communes sunt, excepto quod maritus est dominus rerum, et tamen non potest dotem uxoris alienare, sed eam ex illa pascere, et post mortem viri debet ex ea sustentari. Et converso mulieres debent moderate vestiri et huiusmodi, ne cogant viros res male acquirere. Ambo autem debent elemosinas dare; uxor tamen det eo modo quo debet.

<1.3.3> Tercium est duplex castitas: prima est ne adulterentur, secunda est ne sint in lecto nimis dissoluti. Dicit aliquis: “Non possum de meo facere quod volo?” Respondeo: “Si {18rb} sic potes, quare proprio gladio te non occidis?” Sed dicis: “Quomodo vivam?” Respondeo: “Sic te habeas, ut non confusionem, sed potius honorem in iudicio penitencie coram confessore et in iudicio coram Deo et angelis habere possis”.

⁴ Vulg.: “ut scirent quia per quae peccat quis, per haec et torquetur”.

<2> Secundus ordo est viduitas mentis et corporis, et hec est honoranda; (I) Thy. (5, 3): *viduas honora, que vere vidue sunt*, id est voluntate et facto. Talis fuit beata Elysabeth et alie quamplures.

<3> Tercius est virginitas et hic est summus, scilicet, ordo Beate Virginis – der erst der erste – ut dies dominicus inter ceteros. Ieronimus: in omni sexu et gradu pudicicia obtinet principatum, sicut patet. Inter prophetas enim Iohannes Baptista, inter predicatores Paulus, inter ewangelistas Iohannes, inter martires Stephanus et Laurencius, inter confessores Martinus, Nykolaus, Egidius, inter feminas Beata Virgo. Hic ordo est, qui celestem in carne ducit vitam. Non sic stulte, que virginitatem portant venalem in plateis, in choreis et huiusmodo, que dampnantur. Si tamen convertuntur, dat eis Dominus gloriam virginum, et quia nomen virginitatis tam honorabile est coram Deo, angelis et hominibus in celo et in terra, debetur eis singularis aureola, de qua potius volo tacere, quam debiliter dicere. Det Dominus. Amen.